

cemus nec longiores simus. E diverso autem ostendes quam ingratitude vel verius iniquitatem ipse pontifex usus erga nos est, qui nulla habita ratione ad iusticiam, honestatem et equitatem nec ad merita nostra neque ad debitum ob vinculum predicti nostri foederis quo vinctus et obligatus erat, non modo de facto deseruit ipsum nostrum foedus adversariisque suis se adhesit, quod facere nec poterat nec debuerat, sed quod longe deterius et turpius est, ilico vires suas contra nos conversus est; quibus adhuc non bene satisfactus, ut melius satisfaceret libidini sue predictorumque adversariorum nunc sibi foedere iunctorum, spretis tot dignissimis et preclaris meritis veteribus nostrorum maiorum in sacrosanctam Romanam Ecclesiam, que universo orbi nota fuere, neglectisque nostris recentibus in seipsum cuius honoris, glorie et exaltationis fuimus ita studiosi et cupidi, sicuti omnes intellexerunt, venit ad pronunciationem huius postreme bulle adeo inhoneste, ab omni equitate et merito nostro aliene sibi vero ignominiose, quod magis minime esse posset, qui ostendit tandem malignum et iniquum animum atque conceptum quem adversus nos habebat. Dari autem tibi fecimus inter reliqua exemplum capitulorum que cum ducibus Ferrarie habemus, violata et infrincta nobis, non ut illa cuipiam ostendas (cum nullatenus velimus ponere iura nostra in litem, sicuti nunquam volumus ut nosti), sed quo melius sis instructus et informatus omnium rerum pertinentium cause nostre.

Insuper quamvis non solum Cesaree Maiestati et omnibus dominis Alemanicis qui catholici sunt sed etiam universo iam orbi palam innotescat quam aperte universa curia Romana est impresentiarum omnibus in rebus corrupta, aperies tamen et declarabis particularius inhonestissimos modos tibi notissimos, qui in ipsa curia et per ipsum pontificem et eius ministros servantur, ubi omnia iam ecclesie Dei facta sunt venalia, omnia fiunt per simoniam extorquendo et exhauriendo, ibi per omnem indirectum modum totam pecuniam mundi et ita aperte et libere, quod unicuique licitum id esse videtur ac demum omnia vicia absurda pro libito committuntur impune.

Declarabis preterea tyranidem et vicia comitis Hieronymi, ad cuius nutum omnia fiunt in urbe Romana et in cuius potestate et voluntate sunt omnia constituta, qui ut ambitiosissimus status alieni ob auctoritatem, quam habet a pontifice, nil aliud cupit et querit at omni studio et conatu suo quam omnia in Italia ponere in dissidio, bello et discrimine sperans ipsis mediantibus dissidii se magnum fieri, cum apertissima ignominia ecclesie Dei incessantibusque scandalis et murmuratione ac lamentatione omnium christianorum quotidie clamantium reformationem dicte ecclesie, quam conaberis ostendere esse omnino necessariam. Et propterea devote et quo instantius et efficacius poteris supplicabis eidem Cesaree M^{ti} quod ut illa que digne et merito est caput omnium christianorum et cuius humeris incumbit cura et onus dicte ecclesie, nolit pati suo tempore illius desolationem et ruinam per huiusmodi tyranica media neque quod pre-